

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Gula f cum fonte primo

Ypocrates in amphorismis docet crassa et obesa corpora que crescendi mensuram impleuerunt, nisi cito ablatione sanguinis imminuantur in paralysim et pessima morborum genera erumpere, et idcirco necessariam esse dempcionem, ut rursum habeant in que possint crescere. Non enim manere in uno statu naturam corporum, sed aut crescere semper aut decrescere, non posse uiuere animal nisi crescendo capax sit. Vnde et Galienus uel doctissimus Galieni interpres adepta, quorum uita et ars sagina est, dicit in exhortatione medicine, nec uiuere posse diu nec sanos esse, animasque ita nimio sanguine et adipibus quasi luto inuolutas, nichil tenue, nichil celeste, sed semper de carnibus eructuare et uentris ingluuie cogitare.

Ieronymus in epistola.

Hippocrates in Aphorismis docet crassa et obesa corpora, quae crescendi mensuram compleverint, nisi cito ablatione sanguinis imminuantur, in paralysim et pessima morborum genera erumpere;
et idcirco esse necessariam demptionem, ut rursum habeant in quae possint crescere. Non enim manere in uno statu naturam corporum, sed aut crescere semper, aut decrescere, nec posse uiuere animal, nisi crescendi capax sit. Unde et Galenus vir doctissimus, Hippocratis interpres, athletas, quorum uita et ars sagina est, dicit in Exhortatione medicinae, nec uiuere posse diu, nec sanos esse: animasque eorum ita nimio sanguine, et adipibus, quasi luto inuolutas, nihil tenue, nihil coeleste, sed semper de carnibus, et ructu, et ventris ingluuie cogitare.

Hieronimus Stridonensis, *Adversus Jovinianum*, 2, 11 (PL 23, col.300B).